



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **HONORARI SANCTOS** TEMPLUM CATHEDRALE
IMOLENSE

AD BASILICAES MINORIS HONOREM EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Honorari Sanctos singulari fidelium
veneratione, maxime eos qui sanguinem pro Christo fuderunt, id Ecclesiae sancta catholica non modo permasit, sed
etiam suasit; sunt enim illi et amici Dei fidissimi, quos Pater ipse amat, et patroni christiani populi potentes, et egregia
virtutum exempla praebuerunt, omnibus imitanda. Nihil ergo mirum, si haec beata Petri Sedes data facultate causam
honoris illorum suscipiat. Cum ergo Venerabilis Frater Aloisius Dardani, Episcopus Imolensis, suo ipsius nomine, item
cleri atque populi suaे daoecesis, ab hac Apostolica Sede petierit ut cathedralē templum S. Cassiano dicatum, Christi
Martyri illustri, dignitate Basilicae Minoris decoraretur; Nos, consideratis tum Martyris ipsius gloria, tum multorum
Episcoporum eius Ecclesiae fama, tum templi antiquitate, arte, monumentis, atque praesertim religione, bene fieri
censuimus, si admotis precibus concederemus. Qua re, iis probatis, quae Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu
Divino hac de re censuerit, placet templum cathedralē Imolense in Basilicis Minoribus annumerari, factis nempe iuribus
ac privilegiis talium templorum propriis, modo servita sint quae Decretum «De titulo Basilicae Minoris», die VI factum,
anno MDCCCCLXVIII, observari iubet. Contrariis nihil obstantibus. Ceterum, quod gessimus felix, faustum fortunatumque
sit, fidemque in pectoribus augeat, ad Dei altissimi gloriam, S. Cassiani laudem. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub
anulo Piscatoris, die XVII mensis Decembris, anno MDCCCCLXXXI, Pontificatus Nostri quarto.* AUGUSTINUS Card.
CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis* © Copyright 1981 - Libreria Editrice Vaticana